

# PHAEDRUS - RANAE REGEM PETUNT

## TEXTO

Athenae<sup>1</sup> cum florerent aequis legibus,  
procax libertas civitatem miscuit,  
frenumque solvit pristinum licentia.  
Hic conspiratis factionum partibus  
arcem tyrannus occupat Pisistratus.  
Cum tristem servitutem flerent Attici,  
non quia crudelis ille, sed quoniam grave  
omne insuetis onus, et coepissent queri<sup>2</sup>,  
Aesopus talem tum fabellam rettulit.  
'Ranae, vagantes liberis paludibus,  
clamore magno regem petiere<sup>3</sup> ab Iove,  
qui<sup>4</sup> dissolutos mores vi compesceret.  
Pater deorum risit atque illis dedit  
parvum tigillum, missum quod subito vadi  
motu sonoque terruit pavidum genus.  
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,  
forte una tacite profert e stagno caput,  
et explorato rege cunctas evocat.  
Illae timore posito certatim adnatant,  
lignumque supra turba petulans insilit.  
Quod cum inquinassent omni contumelia,  
alium rogantes regem misere ad Iovem,  
inutilis quoniam esset qui fuerat datus.  
Tum misit illis hydram, qui dente aspero  
corripere coepit singulas. Frustra necem  
fugitant inertes; vocem praeccludit metus.  
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,  
adflictis ut succurrat. Tunc contra<sup>5</sup> Tonans  
"Quia noluitis vestrum ferre" inquit "bonum,  
malum perferte". Vos quoque, o cives,' ait<sup>6</sup>  
'hoc sustinete, maius<sup>7</sup> ne veniat malum'.

## REFORMULAÇÃO

Procax libertas miscuit civitatem et solvit frenum  
pristinum licentia, cum Athenae florerent aequis  
legibus. Hic tyrannus Pisistratus occupat arcem,  
conspiratis partibus factionum.

Aesopus talem fabellam retulit, cum Attici flerent  
tristem servitutem (non quia crudelis ille [tyrannus],  
sed quoniam insuetis grave est omne onus) et  
coepissent queri.

Ranae, vagantes liberis paludibus, petiere regem, qui  
compesceret dissolutos mores vi, ab Iove clamore  
magni. Pater deorum risit atque dedit illis parvum  
tigillum, quod missum terruit genus pavidum, subito,  
motu vadi et sono.

Cum hoc iaceret mersum limo diutius, una [rana]  
profert tacite caput e stagno, et, explorato rege,  
evocat cunctas. Illae adnatant certatim, timore posito,  
et turba petulans insilit supra lignum.

Cum inquinassent illud omni contumelia, rogantes  
misere alium regem ad Iovem, quoniam esset inutilis  
qui fuerat datus. Tum misit illis hydram, qui coepit  
corripere singulas dente aspero. Frustra inertes  
fugitant necem; metus praeccludit vocem.

Dant igitur furtim Mercurio mandata ad Iovem ut  
succurrat adflictis. Tunc contra Tonans ait: "Quia  
noluitis ferre vestrum bonum, perferte malum". Tum  
Aesopus dixit: "vos quoque, o cives, sustinete hoc  
malum, ne veniat maius".

<sup>1</sup> Athenae quamquam dicimus pluraliter, una civitas Graeca interpretatur. Ibi orti sunt Socrates, Plato, Euripides et magni alii auctores.

<sup>2</sup> deponens infinitivum (*queror, -i*).

<sup>3</sup> *petiere* praeteritum perfectum est. Infinitivum autem si esset, "petere" diceremus.

<sup>4</sup> *qui compesceret* interpretatur "ut is compesceret".

<sup>5</sup> *contra* interpretatur "respondens". Ranae rogant auxilium. Iuppiter *contra* dicit: "quia... etc."

<sup>6</sup> *ait* interpretatur "dixit".

<sup>7</sup> *hoc sustinete, ne veniat maius malum.*